

Nicolaus Schütze

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Codicis Professor, Ad Exequias Quas ... Virgini Agnetae Lindemans/ Mater moestissima hodie hora prima in templo Mariano paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo hortatur**

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772178410>

Druck    Freier  Zugang



Schütze, N.

in

A. Lindemann.

Rostock. (1640.)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn772178410/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772178410/phys_0002)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn772178410/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772178410/phys_0003)





PROGRAMMA  
quo  
RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
**NICOLAUS Schütze/**  
J. D. & Codicis Professor,  
<sup>AD</sup>  
EXEQUIAS  
QUAS  
SIMÆ & PUDICISSIMÆ  
VIRGINI  
**AGNETÆ**  
**Lindemans/**

Mater mœstissima hodie hora prima  
in templo Mariano paratas cupit,  
Omnes omnium ordinum Cives Academicos  
sedulo hortatur.



**ROSTOCHII,**

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO MDC XL.

259



Ui ex hac vita, paupertatis & indigentiae, dedecoris & infamiae, morborum & agritudo-  
nis & id genus aliorum defec-  
tuum, plenus evocatur, nihil  
omnino habet, quod de fatorum & importu-  
næ mortis inclemensia conqueratur, quam  
plurimi his defectibus onusti, pannis annisq;  
obligati, votis quotidianis, tempestivis intem-  
pestivis, invocarunt, nec audit, è vita, per vim  
sua sibi manu illatam, ante quam à Deo jube-  
antur, discedunt. Alij moriuntur non omni-  
um quidem, quæ in bonis habentur, egeni:  
Aliquo tamen defectu laborantes, nec tam eo-  
rum, quæ habent, præsenti copia fruuntur  
beati, quam quæ non habent, eorum desiderio  
miserè torquentur. Opibus qui abundat, splen-  
didis vero titulis honorum non ornatus est,  
vitam sibi vix vitalem ducit. Honoratus qui-  
dem, pauper vero, perinde, quasi nervis de-  
stitutus ambulat. In lecto quamlibet aureo  
& pur-

& purpureo jacentem si bona valetudo, & in-  
corrupta sanitas corporis destituat, quidni  
optet potius uno i<sup>clu</sup> cum satis decidere,  
quam lenta quidem, sed certa tandem, & non  
una morte defungi? Deniq<sup>s</sup> si ad eos venia-  
mus, qui & fortunæ bonis abundant, & corpo-  
ris viribus alijsque bonis in ætate bona non  
destituuntur; Quin etiam ex virtutibus animi  
ornatum cæteris dotibus adjungunt, hicau-  
sam habere videntur, quæ in vita nullis defe-  
ctibus laborante, amœnitatum vero plena, eos  
teneat, nec facile, nisi invitox & omnem mor-  
tis mentionem aversantes dimitat. Quam in  
classem referuntur præcipue juvenes quibus  
præsens honorum copia allubescit & spe vici-  
na majorum commodorum ducuntur, neq;  
sibi quidquam non constans & perpetuum in  
familiari felicitate promittunt. Fingamus  
virginem adolescentem nobis offerri, quæ  
ortum ex genere luculento ducat, & opibus,  
forma corporis venusta polleat, & ea ætate  
jam sit, ut in matrimonium honesto & prima-  
rio juveni viro collocari possit, si ea morbo pri-  
mum tentetur, deinde mortem propinquam  
adesse sentiat, nonne humanitus loquendo,  
habitura sit, quod conqueratur, suamq; vicem  
doleat,

doleat, experiri coactæ, quod minimè velit,  
cum aliæ infeliores vivant & suos defectus  
nunquam non deplorent. Quid autem ficto  
opus est, cum rem nobis ipsam hodiernus dies  
exhibeat? Etenim virgo lectissima, fortunæ,  
corporis, animi dotibus ornatissima A G N E-  
T A L I N D E M A N S, digna, si votis & suf-  
fragijs humanis locus esse potuisset, quæ &  
proaviae & abaviae annos assequeretur, hodie  
ad Christianam sepulturam efferetur, ut ex ijs  
quæ sequuntur, parebit. Nata hæc est Anno  
clx lœ xxii. die 9. Septembr. ex parentibus,  
quod urbi toti notissimum est, primarijs. Pa-  
ter ei fuit Vir Amplissimus & Consultissimus  
Dn. THOMAS LINDEM A N p. m. Ju-  
rarium Doctor & hac in Universitate Antecessor,  
dum viveret, celeberrimus, cuius memoria  
nunc etiam nobis omnibus summo in precio  
esse debet: Ita certè meritus & de Academia,  
cuius juventutem fideliter docuit, collegas  
studiosè coluit, sincere amavit, & de hac civi-  
tate, cui Syndicus opera, file, consilio præsto  
semper fuit, ante annos non ita multos pie  
ex hac in cœlestem Academiam translatus  
memoriā sui nobis reliquit immortalem. Ma-  
ter foemina lectissima ELISABETHA Hähnen  
suis

suis virtutibus & mariti radijs etiam nunc de-  
cora splendet. Avus ei paternus fuit Vir ho-  
nestissimus & integerimus HENRICH LIN-  
DEMANN Civis Hervordiensis Reipubl. in West-  
phalia non poenitendus. Avia paterna ANNA  
KIRCHHOVES/ matrona filij tam eximij partu &  
pietate prædicanda. Avus maternus BERN-  
HARDUS HAHNE Vir & Civis hujus Rei-  
publ. primarius: Avia materna ELISABE-  
THA GLINGEN/ ordinis sui insigne ornamen-  
tum, quamdiu vixit, matrona præstantissima.  
Proavus maternus, DN. BARTHOLO-  
MÆUS GLINGE J. U. D. & in hac Universitate  
Professor, Consiliarius Megapolitanus, Vir  
Magnificus, Amplissimus & Consultissimus,  
decus & præsidium hujus Universitatis Pro-  
vinciæque clariſſimum. Proavia materna  
MARGARETA KRONES/ Senatorij ordinis  
viro nupta, matrona eximia. Ex his parenti-  
bus & majoribus legitimè orta & nata hæc  
virgo, hoc primum divinæ providentiaz col-  
latum in se munus debuit, quod virtutem  
suorum majorum imitandi ex ijs occasionem  
habuit. Sed paulo postquam in hanc lucem  
erat edita, adoptata est in familiam longè  
splendidioram & augustioram per lavacrum.

K 3

rege-

regenerationis & renovationis in Spiritu S. ut  
Servatori suo, cui nomen & fidem dederat, ser-  
viret in æternum. Ab eo tempore quotidiana  
cepit incrementa hic flosculus, non formosi-  
tantum corporis, & quæ omnium in se obvi-  
orum oculos converteret, sed animi & men-  
tis, præcipue pietatis cultum sequebatur.  
Cui adjunctum erat obedientiæ parenti-  
bus debitæ studium, cura modestiæ virgi-  
nalis & castitatis, quæ quo propior est luxui  
& voluptatibus, eo periculosiori in statu ver-  
sari solet, otij domestici fuga, in obeundis  
alijs officijs partibus diligentia sedula. Quid  
amplius conceptis votis à D e o optari posset,  
quam honestè nasci, honestè educari, honestè  
vivere, nec ullius rei inopia vel defectu tor-  
queri? Intervenit quidem nubes & hanc se-  
renitatem obsuscavit, cum pater ei admodum  
adolescentulæ ex oculis submoveretur & quasi  
ex complexu avelleretur: Sed eam benedi-  
ctionis divinæ, quam pater discedens relique-  
rat, copia in animo tenello, nec rei magnitu-  
dinem satis capiente, facile dispulit & plane  
ut evanesceret effecit. Itaque spes felicitatis  
optatæ cum quotidie cresceret & majora in-  
crementa etiam exspectarentur, præter omnem  
exspe-

exspectationem, ante septimanas tres morbo  
tentari cœpit, à catarrho & tussi non exiguum  
passa molestiam: Sed ex catarrho in peri-  
pneumoniam incidit, die 12. Novembr. & cum  
tenerrimæ vires expectorandis noxijs humo-  
ribus non sufficerent, conjuncta febris indies  
increvit, fauciumq; accessit inflammatio, do-  
lore & vigilijs molestissima, quibus cum malis,  
dubio licet eventu, aliquandiu colluctata sit,  
tandem tamen, tristè eventu, victa succubuit,  
die morbi vigesimo: Atq; ita ipsis Kalendis  
hujus mensis ad pomeridianam horam secun-  
dam, in vera invocatione sui Redemptoris &  
firma fide, placido & beato obitu, quasi som-  
mo, consopita, exsiravit, & animam, in re-  
surrectione mortuorum, suo corpori jungen-  
dam in manus Redemptoris sui tradidit. Vide-  
tur quidem Virgo nostra h̄c fortunata, nunc  
vero beatissima, nullam causam habuisse, qua  
libenter ex hac vita discedens, tot amœnitates  
relinqueret: Sed cogitavit haud dubiè, cadu-  
ca esse bona, quæ hic possideret, æterna & im-  
mortalia, quæ illic acquireret: Siquidem pie-  
tas eorum promissionem habet, ab eo, qui,  
quod promisit, fideliter præstare & vult & po-  
test. Hujus ergo fiduciæ plena cum discele-  
rit &

rit & parenti desideratissimo inter sanctos an-  
gelos & homines jam coniuncta vivat, nos  
quidem hanc ei sortem gratulamur jure me-  
rito, matri vero, quæ ejus obitu haud dubie  
summo in moerore & luctu versatur, vicem  
dolemus, quæ filiæ dilectissimæ præsentiam  
desiderat, in qua conspecta acquiescere, &  
omnem ex animo tristitiam, ob filij quoq;  
studiorum causa inter exteris degentis absen-  
tiam, dolece consueverat: Ei id jure suo po-  
stulanti & bene meritis mariti, etiamnum in  
animis gratis recentibus hoc dabimus, quod  
aliás officij nostri est, & funus comitatu nostro  
frequentissimo ornabimus virginis, quæ pa-  
rentis delicium, matris amor erat, sui sexus &  
ordinis decus, & ornamentum non vulgare  
exstitit, nunc exemplum fragilitatis & morta-.

litatis nostræ evidentissimum. P. P. Ro-  
stockij sub sigillo Rectoratus,  
die 4. Decembbris Anno  
M DC XL.

Conventus fiet in templo Jaco-  
bæo hodie hora prima.












Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn772178410/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772178410/phys_0016)

**DFG**

exspectationem, ante septiman-  
tentari coepit, à catarrho & tussi-  
passa molestiam: Sed ex ea  
pneumoniam incidit, die 12. No-  
tenerrimæ vires expectorandis  
ribus non sufficerent, conjuncta  
increvit, fauciumq; accessit infla-  
lore & vigilijs molestissima, quib;  
dubio licet eventu, aliquandiu  
tandem tamen, tristis eventu, vi-  
die morbi vigesimo: Atq; ita  
hujus mensis ad pomeridianam  
dam, in vera invocatione sui  
firma fide, placido & beato obi-  
mo, consopita, exspiravit, & a  
surrectione mortuorum, suo co-  
dam in manus Redemptoris sui tri-  
tur quidem Virgo nostra hic fo-  
vero beatissima, nullam causam  
libenter ex hac vita discedens, te-  
relinqueret: Sed cogitavit hauc  
ca esse bona, quæ hic possideret,  
mortalia, quæ illuc acquireret:  
tas eorum promissionem habet  
quod promisit, fideliter præstare  
test, Hujus ergo fiduciæ plena



the scale towards document